PROGRAMMA DELL'I. R. GINNASIO SUPERIORE DI TRENTO ALLA...

Ginnasio superiore di Trento

PROGRAMMA

DELL' I. R.

GINNASIO SUPERIORE

DI

TRENTO

ALLA FINE DELL' ANNO SCOLASTICO

1865.

TRENTO
PRESSO GIOVANNI SEISER TIPOGRAFO-EDITORE.
1865.

DEMOSTHENES ET AESCHINES

QUOMODO PATRIAE DEBITA OFFICIA PRAESTITERINT

NARRAVIT

JOSEPHUS MASCHKA.

IV.

Etsi Philippus ex illa pugna ad Chaeroneam facta adeo superior discesserat, ut iam omnium rerum Graecarum arbitrium penes eum esse videretur, tamen praeter omnium spem victoria sua abusus non est et simulatque se collegit ex illa effusa laetitia, qua victis insultaverat [1]), lenius agere coepit cum Atheniensibus iisque per oratorem Demadem, quem ex captivitate dimiserat suumque asseclam fecerat, pacem ultro obtulit [2]). Sed non tam animi benignitate eum ad illam lenitatem adductum esse dixeris, quam eo, quod vereretur adducere ad extrema Athenienses, quorum vires nondum adeo fractae erant, ut continuo se submitterent. Nam simulatque se receperunt ex repentino illo terrore, quem iis nuntius cladis suorum in-

1) Cf. Diod. Sic. 16, 87; 88; Plut. *Dem.* 20, 3.

2) Diod. l. l. Is quamvis humillimo loco natus (remigem olim fuisse ferunt) et ineruditus esset, tamen a natura talem dicendi facultatem acceperat, ut in concione inferior esset nemine, praecipue si quid esset ex tempore dicendum. Sed hoc praeclaro naturae dono nonnisi ad ventrem suum implendum usus est, ita ut interrogaret olim Phocionem cur ad rem publicam accessisset, si tam exiguo prandio contentus esset. Vitam suam pessimam finivit per Macedones ipsos, quibus se vendiderat. V. Schaef. Dem. u. s. Z. 3, 1, 19 seqq.; ac de eius morte Plut. *Phoc.* 30, 5 seqq.

cusserat[3]), rogantibus Demosthene excubiis, fossis, muris urbem munire[4]), frumentum comparare[5]), pecuniam conferre[6]), sociorum auxilium implorare[7]); Hyperide sacra, liberos et mulieres in Piraeeum transferre, servos, qui militiae idonei essent stipendiaque facere vellent, manu mittere, inquilinos, qui arma pro salute communi caperent, civitate donare, exsules, qui ad patriam defendendam accurrerent, in integrum restituere decreverunt, adeoque omnes inter se certaverunt, ut nullus ordo, nulla aetas relinqueretur in adiuvanda republica[8]).

Quae cum audivisset Philippus, statim Athenas dimisit Demadem illum, qui nuntiaret, quam propensus esset rex ad aequam pacem faciendam. Nec spes id, quod volebat, assequendi eum fefellit; nam Demades eloquentia sua effecit, ut Athenienses omnem metum deponerent legatosque mitterent ad Philippum, qui cum eo de pace agerent. In his praeter Demadem ipsum, Phocionem aliosque etiam Aeschines fuit, qui, cum antea, dum dubium fuit, quo res casurae essent, se intra silentium tenuisset, nec quicquam ad communem salutem contulisset, iam amplius se continere non potuit, dixitque se pro patriae salute legationem ad regem, cuius se nunc aperte amicum et hospitem profitebatur, suscepturum[9]).

3) Cf. Dem. *de cor.* 195.
4) Dem. l. l. 248. De Demosthenis et Hyperidis rogationibus cf. praeter locos Schaeferi, quos infra afferam, Westermann, comment. de v. Demosth. p. XXVIII.
5) Demostheni ipsi tum id negotium a populo demandatum est. V. Dem. l. l.
6) Publicum aerarium his temporibus in magnis difficultatibus versatum esse videtur; sed has etiam tum removit bonorum civium liberalitas. Demosthenes ipse tunc talentum dono dedit. V. vit. dec. or. 851. a. Cf. Schaef. l. l. 13 seq.
7) Schaef. l. l. 14 seqq.
8) Schaef. l. l. 8 seqq.; 12.
9) Cf. Dem. l. l. 282—284; 307—313.

Huius legationis exitus omnium expectationem superavit [10]; nam Philippus non modo omnes captivos Athenienses sine pretio reddidit ossaque eorum, qui in pugna ceciderant, Athenas misit, sed etiam per Antipatrum filiumque suum Alexandrum eas pacis conditiones tulit, quae in illis temporibus haud facile reiici possent. Id sane ferendum fuit Atheniensibus, ut eorum imperium maris imminueretur, et Graeciae principatus ad Philippum transiret; sed contra Philippus iis concessit, ut liberi essent et ager Oropicus, de quo tam diu cum Thebanis certaverant, iis restitueretur; praeterea promisit, se neque in illa expeditione, quam facturus erat in Peloponnesum ad res Graecas componendas sibique summum imperium contra Persas petendum [11], iter facturum esse per eorum fines, nec unquam permissurum, ut ulla navis longa Macedonica Piraeeum intraret [12]. Ac si consideremus post pugnam ad Chaeroneam fere nullam urbem Graecam alicuius momenti fuisse, cui praesidium Macedonicum impositum non esset, intelligemus quomodo fieri potuerit, ut Athenienses eas pacis conditiones, quae suae auctoritati in Graecia finem faciebant, pro beneficio haberent, neque modo civitate donarent Philippum eiusque filium Alexandrum et legatos Antipatrum et Alcimachum, sed etiam decernerent, ut Macedonum regi statua in foro poneretur [13].

---

10) Cf. Dem. l. l. 231; Aesch. in *Ctesiph.* 159. Ex Aeschinis verbis patet, Demosthenem eo tempore, quo pax facta est inter Athenienses et Philippum, absentem fuisse. Populus enim praeter curam frumentum comparandi etiam hanc ei demandaverat, ut tributa a sociis exigeret; quam rem Aeschines more suo calumniando detorquet. Cf. Schaef. l. l. 14; 29.

11) Cf. Diod. Sic. 16, 89; 91.

12) Schaef. l. l. 25.

13) Schaef. l. l. 29 seqq.

Ceterum hoc saltem iis laudi tribuendum est, quod Macedonicae factioni, quae iam plurimum pollebat, non adeo inservierunt, ut eos proderent, qui semper pro eorum salute ac gloria contenderant necdum, quamvis cedere coacti essent malo inevitabili, spem amiserant civitatem suam aliquando ad pristinam libertatem potentiamque revocandi; prae ceteris Demosthenem, qui quanta etiam tum fuerit auctoritate, iam ex eo videri licet, quod neglectis omnibus calumniis a factione Macedonica in eum inlatis [14]) ei honorificum negotium demandarunt memoriam eorum, qui ad Chaeroneam cecidissent, usitata oratione celebrandi [15]). In concionibus autem semper fere ut antea Demosthenis sententia praevalebat; quamquam, si Aeschini et Plutarcho [16]) credimus, primis temporibus, cum Philippus etiam in Boeotia cum exercitu erat, populus, ne iram Philippi excitaret, iis decretis, qui Demosthenis auctoritate fierent, non huius, sed amicorum, maxime Nausiclis, nomina praescribi iussit; sed postquam Philippus in Peloponnesum profectus est, etiam ille metus evanuit, et Demosthenes iam suis rogationibus suum ipsius nomen praescribere coepit; quarum rogationum prima haec fuit, ut munimenta urbis Piraeeique, quorum refectio antea aut neglecta, aut post factam pacem interrupta erat, omni ex parte publico sumptu repararentur. Quo opere tributim dispertito [17]) Demosthenes ipse a sua tribu muris reficiendis curator electus est [18]), adeoque in hoc munere ge-

---

14) Cf. Dem. l. l. 249.

15) Dem. l. l. 285—288. Quibus verbis laudaverit Demosthenes cives suos, qui ad Chaeroneam ceciderant, ignoramus. Epitaphium illud, quod in orationibus Demosthenicis reperitur iam antiqui Demosthene indignum iudicaverunt. V. Schaef. l. l. 33 seqq.

16) Aesch. l. l.; Plut. *Dem.* 21, 3.

17) Aesch. l. l. 27.

18) Aesch. l. l. 31. Cf. Dem. l. l. 113; 299.

rendo exspectationem in se positam explevit, ut non modo Piraeei munimenta, quae reficienda sortitus erat, accurate repararit, verum etiam auxerit duobus fossis [19]), in quibus circa Piraeeum ducendis centum minas de suo impendit [20]), idque postquam iam paulo ante in theoricum, cuius curam cum novem aliis eodem anno acceperat, aliam pecuniam, cuius summam ignoramus, de suo erogaverat [21]).

Hac nova Demosthenis liberalitate motus rogavit Ctesiphon in senatu, ut propter illa dona et propter virtutem ac benevolentiam omni tempore reipublicae probatam aurea corona donaretur Demosthenes, eaque donatio fieret magnis Dionysiis in theatro Graecis ad novas fabulas spectandas congregatis [22]). Quae rogatio senatus consulto comprobata, antequam ad populum ferretur, intercessit Aeschines actione Ctesiphonti intenta, „quod contra leges scripsisset, ut et rationibus non relatis corona Demosthenes donaretur et ut in theatro, et quod de virtute eius et benevolentia falsa scripsisset, quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate“ [23]). Itaque res dilata est eo usque donec iudices sententiam dixissent. Hoc autem, ut infra videbimus, ignotis de causis factum est sex demum annos post intentam causam.

---

19) Vit. dec. or. 851, a.

20) Hanc summam ab Aeschine (l. l. 17; cf. Vit. dec. or. 845, f) indicatam probabiliorem esse quam illa in spurio illo decreto Dem. l. l. 118 commemorata demonstravit Schaef. l. l. 74, adn. 2.

21) Cf. Aesch. l. l. 24; Dem. l. l. 112 seqq. De ignota summa pecuniae cf. Schaef. l. l. 75 adn. 1.

22) Aesch. l. l. 34; 49; 236.

23) Verba sunt a Westerm. l. l. XXIX e Ciceronis scriptiuncula de opt. gen. or. 7, 20 deprompta. Ceterum confer Schaeferum, qui (l. l. 204, adn. 1) omnes locos ex Aeschinis et Demosthenis orationibus huc spectantes attulit.

Paulo postquam Aeschines intercessionem suam interposuerat nova spes affulsit Graecis se in libertatem vindicandi audito Philippi obitu [24] (336 a C.). Quo nuntio accepto Athenis statim diis gratulationes factae sunt Pausaniaeque Philippi occisori statua est posita, idque rogatu Demosthenis, qui, quamvis ei modo ante septem dies filia unica mortua esset, tamen corona candidaque veste tanquam laetabundus indutus in publicum processit populumque contra Macedonas excitavit [25]). Nec modo Athenis, sed multis aliis locis ille nuntius magnos animorum motus excitavit, iamque cum omnes, tum maxime Thebani, in quos Philippus post pugnam ad Chaeroneam gravissime vindicaverat, defectionem a Macedonibus moliebantur [26]). Sed res aliter cecidit atque expectabatur; nam Alexander, filius successorque Philippi, quem Demosthenes et fortasse alii cum eo hominem imbecillum putabant [27]), necopinato Boeotiam cum exercitu intravit castraque ad Thebarum portas posuit [28]). Quo repentino casu perculsi cum ceteri Graeci in Alexandri fidem redire properarent, Athenienses quoque, quibus, si soli resisterent, felicem rei exitum exspectare non licebat, necessitati paruerunt Demadeque auctore legatos ad Alexandrum miserunt, qui praeteritorum veniam ab eo precarentur [29]).

Verum quam ancipites sint eorum animi, qui necessi-

24) De eius nece cf. Diod. Sic. 16, 93 seq.

25) Aesch. l. l. 77; 160. Cf. Diod. Sic. 17, 3; Plut. *Dem.* 22.

26) Diod. l. l.

27) Cf. Aesch. l. l. 160. Plut. *Dem.* 23, 2; *Alex.* 11, 3.

28) Diod. 17, 4.

29) Diod. l. l. Demosthenes quoque tunc legatus electus est; sed, ut res tunc se habebant, facilius credideris eum hanc legationem abnuisse, quam deseruisse medio ex Cithaerone, ut vult Aesch. l. l. 161. Cf. Schaef. l. l. 89.

tate coacti se subiiciunt, paullo post apparuit. Alexander enim simulatque a pacata Graecia reverterat, profectus erat in bellum contra Illyrios Triballosque gerendum; quo in bello, etsi semper superior discessit, tamen tot difficultatibus conflictatus est, ut facile fama divulgari potuerit, eum in Illyria periisse [30]). Hoc satis fuit ad flammam seditionis in Graecia vehementius quam antea accendendam; ac primi Thebani rebellaverunt, qui statim post illum rumorem Cadmea ad praesidium Macedonicum expellendum operibus clausa legatos miserunt ad Arcades, Argivos, Eleos, Athenienses, ut partem belli capesserent [31]). Neque illi belli societatem abnuerunt quidem, sed Peloponnesios intra Isthmum, Athenienses domi continuit necopinatus adventus Alexandri [32]), qui bello contra Illyrios Triballosque confecto repente cum exercitu advolavit, Thebanos proelio vicit, eorum urbem expugnatam solo aequavit, omnesque, qui mortem effugerant nec aut sacerdotes aut regis amici erant, — ad triginta milia fuisse ferunt — sub corona vendidit [33]). Quo nuntio accepto Peloponnesii domum reversi, tamquam eos commissi erroris poeniteret, belli auctores poena affecerunt summaeque rei Macedonum fautores praefecerunt [34]). Athenienses autem, qui suadente praecipue Demosthene

---

30) Arr. Anab. 1, 1—7. Cf. Diod. Sic. 17, 8; Just. 11, 2.

31) Diod. l. l. — Athenienses interea etiam cum Persarum rege de Macedonibus bello inferendo egerant, qui ad id bellum excitandum cum pluribus aliis civitatibus, tum maxime iis trecenta talenta miserat. Hac pecunia Demosthenes, cui a legatis regis tradita erat, magnam vim armorum comparavit Thebasque misit. V. Schaef. l. l. 106; 109.

32) Diod. Sic. l. l. Cf. Schaef. l. l. 123, ubi loci afferuntur Aeschinis l. l. 240 et Dinarchi *in Demosth.* 20, qui alius alio modo avaritiae (!) Demosthenis haesitationem Peloponnesiorum imputant.

33) Diod. 17, 14; Arr. l. l. 9, 6 seqq.; Plut. *Alex.* 11, 5 seq.

34) Cf. Schaef. l. l. 124.

iam pridem magnos belli apparatus fecerant, sed post nuntiatum Alexandri adventum invito Demosthene domi sese continuerant quorsum res casurae essent exspectantes; primo, quasi bello iam sibi quoque instante, magna cum trepidatione defensionem paraverunt profugosque Thebanos apud se receperunt, postea vero suadente Demade decem legatos eosque Alexandro maxime acceptos miserunt, qui regi gratularentur, quod salvus ex Illyriis Triballisque revertisset Thebanorumque defectionem ultus esset [35]). Quam servilem adulationem Alexander adeo primo respuisse dicitur, ut scriptum, quod ea verba continebat, ante legatorum pedes proiiceret et se alio verteret [36]). Tandem placatus respondit se velle quidem Atheniensibus ignoscere, sed ea conditione, ut sibi traderent eos viros qui et antea auctores fuissent pugnae ad Chaeroneam factae et nunc Thebanorum culpae conscii essent, in primis Demosthenem, Lycurgum, Charidemum, praeterea ut profugos Thebanos eiicerent [37]). A qua conditione accipienda cum Athenienses, qua erant etiam tum honestate, abhorrerent, Demades acceptis, ut fertur, quinque talentis ab iis qui in ea re maximam partem habebant, mediam quandam viam proposuit, eoque auctore rursus legati, inter quos ipse Demades et Phocion fuerunt, missi sunt, qui ab Alexandro eos viros deprecarentur promitterent-

---

35) Arr. l. l. 10, 2 seq. De profugis Thebanis cf. etiam Aesch. l. l. 156; Plut. l. l. 13, 1.

36) Plut. *Phoc.* 17, 4.

37) Arr. l. l. 1, 3 seq.; Diod. Sic. 17, 15; Plut. *Dem.* 23, 3 seq.; *Phoc.* 17, 2; cf. Dem. l. l. 41 extr. Decem fuisse illos viros, quos Alexander sibi tradi volebat, inter omnes fere auctores constat; sed discrepant inter se in tradendis eorum nominibus. Hoc unum pro certo haberi potest, inter illos viros fuisse Demosthenem, Lycurgum, Polyeuctum, Charidemum, Ephialtem, Moeroclem. V. Schaef. l. l. 127 adn. 1.

que, populum ipsum in illos viros, si poena digni viderentur, animadversurum; praeterea regem orarent, ut populo liceret profugos Thebanos apud se retinere[38]). Quo populi scito accepto Alexander, sive quod verebatur, ne suae ipse gloriae noceret, si praeclaram illam civitatem ad Thebanorum casum perduceret, sive quod iam iam in Asiam traiecturus nihil suspecti in Graecia relinquere volebat, a postulatione sua ita destitit, ut unum Charidemum urbe eiici voluerit [39]).

Exim, dum Alexander bellum in Asia gessit, factio Macedonica adeo se extulit, ut quicumque patriae cupiebant si non prorsus afflicti iacebant, at certe duras haberent partes. Nam populus, etsi nondum eo delapsus erat, ut eos proderet, qui ipsius saluti consulebant, tamen ad eam ignaviam reverterat, quae libertatis fautores paene ad desperationem perduceret. Quod mox visum est in funesto illo bello, quod Agis, Lacedaemoniorum rex, contra Macedones suscepit (330 a. C.) et haud scio an idoneum fuisset ad potentiam Macedonicam in Graecia frangendam [40]). Cum enim Athenienses post multas deliberationes tandem decrevissent, ut classis Alexandri adversariis auxilio mitteretur, pecunia vero ad hanc classem comparandam sumenda esset e theorico, surrexit Demades, qui tum

38) Arr. I. I. 6; Diod. Sic. 17, 15; Plut. *Dem.* 23, 5. Hic auctor tradit (I. I. 4) Demosthenem tunc civibus suis, quibus significare volebat, quam stulte acturi essent, si petitos viros Alexandro traderent, narrasse fabulam illam de pecudibus, quae lupis canes tradiderint.

39) Arr. et Diod. II. II. Ad lenitatem adductus esse videtur Alexander potissimum exhortationibus Phocionis, quem magni faciebat. Cf. Plut. *Phoc.* 17, 4 seq.

40) De hoc bello cf. quae copiose narravit Schaef. I. I. 185 seqq. Qui vir doctissimus non sine causa ad haec tempora referri vult illam orationem *περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν*, quae falso Demostheni tribuitur.

theorici praefectus erat, et: „Est sane, inquit, vobis pecunia; nam ego rem ita institui, ut ad congiaria celebranda unusquisque vestrum semiminam accipiat: verum si ea ad haec (ad classem parandam) uti vultis, tum (die illo festo) de vestro impendite.“ His verbis statim mutati sunt vulgi animi, quod, ne donis ex theorico privaretur, expeditionem omisit nec bello interfuit[41]).

Quae sane si talia erant, ut bonorum civium animum affligerent, quanto dolore affectus esse putandus est Demosthenes, qui, ut semper cum spes affulsisset libertatem recuperandi, sic etiam tum nihil intentatum reliquisse videtur, ut Athenienses quoque ad societatem belli ab Agide suscepti deduceret?[42]) Ac tanquam hoc satis non esset, excitata est eodem anno gravissima in eum invidiae procella. Aeschines enim, ut supra diximus, iam ante hos sex annos litem Ctesiphonti intenderat, quod contra leges rogationem tulisset, ut Demosthenes ob magna sua merita in rem publicam aurea corona donaretur; sed causae perorationem in hunc annum distulerat[43]). Huius dilationis, quae sine exemplo est, frustra causam quaesieris, cum nec apud alios auctores, nec in ipsis Aeschinis in Ctesiphontem et Demosthenis de corona orationibus ullum indicium invenias, quod huic rei aliquod lumen afferat. Sed quaecumque fuerit ista causa, hoc pro certo haberi potest Aeschinem, sive recenti exitu belli Spartani, quo Macedonicae factionis potentia magis etiam creverat, sive hoc, quod decretum illud, quo senatus Ctesiphontis rogationem comprobaverat, renovatum erat, adductum esse, ut accusationem suam perageret. Ce-

41) Schaef. l. l. 194.

42) Hoc confici potest ex ipsis Aeschinis verbis l. l. 166. Cf. Plut. *Dem.* 24, 1.

43) Cf. supra p. 7. De temporis intervallo quod intercidit inter Aeschinis intercessionem et diiudicationem litis de corona v. Schaef. l. l. 77; 205.

terum tantum abfuit, ut Aeschines per longam illam moram interiectam odium suum in Demosthenem leniret, ut, cum illum in tot temporum difficultatibus eadem qua antea gratia atque auctoritate florentem videret, etiam maiore in eum ira accensus sit; quam iram totam effudit oratione illa, quae nomine quidem in Ctesiphontem sed re in Demosthenem ipsum habita est. Non enim Ctesiphon is erat, ob quem Aeschines tantopere contenderet, nec facile credideris eum multum curasse legibus conveniret an repugnaret quod ille rogaverat; sed quod post pugnam ad Chaeroneam, post dirutas Thebas, denique postquam Macedonicae factionis victoria absoluta videbatur, tanta laude tantoque honore ornatum iri videbat eum, qui omnibus viribus factionem illam adversatus erat, hoc ei bilem movit, hoc eum ita accendit, ut omne acerbitatis suae virus, quod per tot annos collegerat atque recondiderat, in adversarium suum evomeret. Respondit Aeschini Demosthenes oratione *de corona* inscripta, in qua non modo omnes eloquentiae suae nervos collegit, sed etiam res a se gestas meritaque sua in rem publicam tanta veritate exposuit, ut Athenienses prorsus Macedonum servi dicendi fuissent, si Ctesiphon causa cecidisset. Sed licet a maioribus degenerassent, tamen nondum erant adeo corrupti iudices, ut ea insolentia, qua Aeschines verum in falsum convertebat coram non ipsis modo sed ingenti multitudine arbitrorum, qui ex tota Graecia ad eam causam audiendam Athenas convenerant[44]), in errorem induci possent; ac, si unquam alias, tunc certe se eo viro, qui Philippum ad Chaeroneam adduxerat, dignos praebuerunt Ctesiphontemque paene uno consensu absolverunt; Aeschines autem, cum praescriptam

44) Cf. Cic. de opt. gen. orat. 7, 22; Brut. 84, 289.

quintam suffragiorum partem adeptus non esset[45]), non tam quo 1000 drachmarum multam non solveret, quae in publicis causis accusatori falsi criminis convicto cum interdictione aliam eiusmodi causam intendendi infligebatur[46]), quam ut e conspectu invisi adversarii abiret, urbe cessit primumque Ephesum profectus est reditum Alexandri exspectaturus, in cuius gratia spes sua posita erat; deinde post illas procellas civiles, quae Alexandri mortem secutae sunt, Rhodum, denique Samum se contulit, ubi paullo post malam suam vitam finivit[47]).

Quo rei exitu cum qui a Macedonibus stabant gravissimam accepissent plagam, facile cogitari potest, quanto maiore odio arderent in Demosthenem, quamque avide intenti essent in occasionem cladis antesignano suo illatae poenas ab illo repetendi. Haec occasio statim anno insequente iis oblata est. Harpalus enim[48]), quem Alexander in Indiam proficiscens regii thesauri Babylone custodem reliquerat[49]), absente rege creditas sibi opes foede ibi dissipaverat, utque ad improvisos fortunae casus sibi perfugium compararet, Atheniensium cum singulos liberalitate conciliare studuerat, tum multa in totum populum contulerat beneficia[50]). Postea vero nuntio de Alexandri reditu praeter opinionem allato perterritus, quippe qui

---

45) Plut. l. l. 2.

46) Schöm. Gr. Alterth. 1, 491.

47) V. Schaef. l. l. 266.

48) De hac re confer, praeter Schaeferum (l. l. 277 seqq.) et Westermannum (l. l. p. XXXII seq.), Rabei commentationem de causa Harpalica in programm. gymn. Olsnensis an. 1863.

49) Arr. l. l. 3, 19, 7. Diod. Sic. 17, 108.

50) Diod. Sic. l. l. Plut. *Phoc.* 21, 4; 22, 1—3. In his Plutarchi locis agitur de Charicle, Phocionis genero, qui antequam Harpalus ex Asia fugeret, illius negotia Athenis procurabat.

delicti veniam desperaret, correptis quinque millibus talentum et triginta navibus conquisitis, cum sex millibus mercenariorum militum in Atticam profugit seditionis in Alexandrum concitandae causa [51]).

Sed Athenienses, quamvis moleste ferrent Alexandri imperium, tamen Harpalum non receperunt auctore praecipue Demosthene [52]), qui videbat tum, cum Alexander victor rediturus erat ex Asia, si unquam alias, seditionem in eum inopportunam et perniciosam fore. Qua re Harpalus redire coactus milites suos ad Taenarum promontorium exposuit, ipse una nave cum pecuniarum parte revectus fidem Atheniensium imploravit [53]). Quam cum impetrasset auxilio multorum oratorum, quos pecunia corruperat [54]), summam operam dedit, ut animos civium ad bellum Alexandro inferendum incitaret. Quod propositum cum iam iam quamvis invito Demosthene [55]) assecuturus videretur, repente magna animorum commutatio facta est adventu legatorum Antipatri et Olympiadis proditorem exposcentium, praeterea Philoxeni, classis Macedonicae praefecti, qui tunc sua sponte ob eandem causam Athenas venisse videtur [56]); tum enim non solum qui a Macedonum partibus stabant, sed etiam qui ab Harpalo corrupti erant, ut suspicionem a se amoverent, populo suaserunt, ut Harpalum Antipatro traderent [57]). Huic con-

---

51) Diod. Sic. l. l.; Curt. 10, 2, 1.

52) Vit. dec. or. 846, a; cf. Schaef. l. l. 279; Westerm. l. l.

53) Diod. Sic. l. l.

54) Diod. Sic. l. l. Cf. Plut. *Dem.* 25, 1; *Phoc.* 21, 2; praeterea Westerm. l. l. adn. 207.

55) Cf. Schaef. l. l. 281.

56) Vide quos attulit locos Schaef. l. l. adn. 2. Philoxenum sua sponte, non Alexandri iussu Harpalum expoposcisse apparet ex ea rogatione Demosthenis, de qua mox dicturi sumus.

57) Rabe l. l. p. 2.

silio tanquam a dignitate reipublicae alieno adversatus est Demosthenes rogationemque pertulit, ut Harpalus in custodia teneretur, summaque septingentorum talentum, quam ille secum attulisse diceret, in arce reponeretur, donec veniret ab Alexandro qui fugitivum et pecuniam repeteret[58]. Cum autem numeratis pecuniis iam in arce depositis tantum dimidia fere pars summae ab Harpalo indicatae inventa esset indeque manifesto largitionis crimen appareret, populus rogante Demosthene, cui eius rei cura demandata erat, decrevit ut deficiens pecunia exigeretur ita, ut iis, qui sua sponte accepta dona reddidissent, impune esset, in ceteros vero Aeropagus inquireret noxiosque indicaret, ut largitionis accusarentur[59]. Ex quo decreto cum quaestio ab Aeropago institui coepta esset Harpalus elusis custodibus in Cretam profugit, iuvantibus certe iis, qui poenam sibi metuebant, nec invitis fortasse Demosthene et aliis, qui fugitivum receptum neque cum rei publicae periculo retentum, neque ad grave supplicium traditum volebant[60]. Sed utcumque res se habuit, hoc certum est, Harpali fugam perniciosissimam fuisse Demostheni; nam non modo ansam dedit inimicis suis eum pecuniae ab Harpalo acceptae insimulandi, sed etiam iis inter amicos suos, qui libenter cum Harpalo bellum Macedonibus intulissent, suspicionem moveret, eum Alexandri gratiam quaerendi causa Harpalo fugae facultatem dedisse itaque eorum conatus frustratum

58) V. vit. dec. orat. p. 846, b et Hyperidis fragmenta or. in Dem. a Schaef. l. l. 282 allata; praeterea Dinarch. l. l. 89.

59) Vit. dec. or. l. l.; Dinarch. l. l. 4; Plut. *Dem.* 26 init.; fragm. Hyper. or. in Dem. 10 (ap. Schaef. l. l. 283).

60) Vit. dec. or. l. l.; Diod. Sic. l. l. Harpali fugam Demostheni quoque non displicuisse recte mihi coniecisse videtur Rabeus (l. l. p. 3) cum Groteo (hist. gr. edit. germ. p. 658).

esse [61]). Quae suspicio etiam aucta est postquam Demosthenes Olympia, quo interea princeps legationis missus erat ad Nicanorem Alexandri legatum [62]), reversus Demadem sive ad rogationem ferendam incitavit, sive rogantem adiuvit, ut Alexandrum tertium decimum ascriberent diis Olympiis, ne, dum coelum custodirent, terram amitterent.

Itaque Demosthenes, ut gliscentem in dies invidiam a se amoveret, in concione rogavit, si quo crimine acceptae pecuniae teneretur, ut Areopagus capitis in se inquireret [63]). Areopagus vero sex tandem menses post institutam quaestionem [64]) reos acceptae largitionis detulit ad populum cum novem alios tum ante omnes Demosthenem, tamquam viginti talentis corruptum [65]). Hoc facto

---

61) Cf. Schaef. l. l. 292.

62) Venerat is Olympiam coram Graecis, qui eo convenerant ad Olympicos ludos spectandos, Alexandri iussa pronuntiaturus, inter quae hoc erat, ut exsulibus, qui nec caedis damnati, nec sacrilegi essent, potestas fieret in patriam redeundi. Cui iusso cum obtemperare non possent sine magno suo damno Athenienses, qui Samios possessione insulae exturbaverant, Olympiam miserunt Demosthenem, qui de ea re cum Nicanore ageret, operamque daret, ut ipsis illius regii iussi gratia fieret. Quod ut impetraret Demosthenes Nicanori promisisse videtur, se facturum, ut Athenienses tandem Alexandro divinos honores decernerent, quod antea se facturos esse negaverant. V. Schaef. l. l. 285—290; Rabe l. l. 3 seq.

63) Dinarch. l. l. 61; 86.

64) Dinarch. l. l. 45.

65) Dinarch. l. l. 6; 45; 53; 69. Hoc crimen quam commenticium fuerit ex hoc videri potest, quod nemo, quin vellet, ignorabat, Demosthenem accepisse quidem ab Harpalo viginti talenta, sed ea in theoricum erogasse, tamquam ad hoc mutuo data ab Harpalo (cf. Hyp. fragm. or. in *Dem.* 4 seq.). At hoc arcanum publicum erat, quod tutius erat dissimulare, quam iram Alexandri in totam vertere civitatem. Quare haud immerito dictum est Areopagum Demosthenem reum iudicasse, quia reum vellet eum iudicare (Westerm. prolegg. ad Dem. oratt. select. XXVIII). Quae autem fides habenda sit omnino largitionis criminibus Demostheni inlatis facile intelleges si tecum reputaveris et accusatores ipsos discrepare inter se in indicanda summa a Demosthene

populus decem oratoribus accusatorum partes detulit[66]); quas partes suscepisse cum aliis hominibus nequissimis Demosthenique maxime infensis Hyperidem illum,qui usque adhuc a Demosthenis partibus steterat, sane mirum videri possit; sed si consideraveris, quam alienus a corruptione et ab omni compositione cum Macedonibus eorumque factione fuisset ferox ille vir, facile intelliges quanta ira in Demosthenem eum accendere debuerint suspecta Harpali fuga, malevoli rumores a Macedonica factione dissipati, denique ipsius Demosthenis constantia in reprimendis intempestivis illis belli conatibus, a quibus ille praecipue inde ab Alexandri reditu ex India nihil boni sperabat[67]). Igitur uti ventum est in iudicium Demosthenes cum frustra conatus esset se ab adversariorum criminibus defendere, condemnatus est quinquaginta talentis[68]). Sed hoc magis inimicorum eius machinationibus, quam criminum ei illatorum veritate factum esse iam hinc colligi potest, quod neque ab Areopago, neque ab accusatoribus ullus testis productus est, qui accusationi aliquam fidem afferret [69]); sed innocentiam Demosthenis comprobavit aliquanto post testimonium Philoxeni illius, qui nuper cum Atheniensibus de tradendo Harpalo egerat. Is enim, interfecto Cretae a servis Harpalo [70]) per quaestionem ex custode pecuniae eius habitam nomina omnium eorum, qui ab Harpalo corrupti erant, cognovit eaque in indicem relata cum Atheniensi-

---

accepta, et fabulam illam de aureo calice (Plut. *Dem.* 23, 2 seq.) iis prorsus inauditam esse. V. Westerm. comment. de v. Dem. p. XXXIII.

66) Dinarch. *in Aristogit.* 6.

67) Cf. praecipue Rabe l. l. 6 seq.

68) Cf. Plut. *Dem.* 26, 1; 27 extr.

69) Schaef. l. l. 297; Rabe l. l. 5.

70) Diod. Sic. 17, 108; 18, 19.

bus communicavit; quo in indice, quamvis Philoxenus ipse infensus esset Demostheni, tamen nulla mentio Demosthenis facta est [71].

Ceterum Demosthenes cum irrogatam multam sufferre non posset in vincula coniectus est; ex quibus tamen sive quod eum poenae pudebat, sive quod propter corporis infirmitatem custodiae molestias tolerare non potuit, amicorum ope nec prohibentibus fortasse inimicis, qui satis habebant tantum adversarium a republica removisse, clam elapsus aufugit et in exilium profectus est [72]. Quod exilium cum aliquamdiu parum fortiter tulisset Aeginae plerumque et Troezene desidens [73], mors inexpectata Alexandri effecit, ut certe multo prius quam expectabat, eam patriam reviseret, cuius quamvis ingratae caritatem ne exul quidem deposuerat. Eo enim nuntio accepto Athenienses ab Hyperide aliisque, qui cum eo contra Macedonas faciebant admoniti, ut tandem eam occasionem amplecterentur totam Graeciam in libertatem vindicandi, arma sumpserunt [74], praefectoque summae rei bellicae Leosthene, forti viro et rei militaris perito, qui interea in novarum rerum exspectatione Taenari haud parvam manum militum mercenariorum contraxerat [75], in omnes partes legatos circummiserunt, qui Graecas civitates ad societatem belli vocarent. His legatis, in quibus et Hyperides fuit, Demosthenes acceptae iniuriae oblitus sua sponte se adiunxit Hyperidique reconciliatus pro sua parte effecit, ut plures Peloponnesi

71) Pausan. 2, 33, 4 seq.
72) Plut. *Dem.* 26, 2.
73) Plut. l. l. 4.
74) Diod. Sic. 18, 10. Cf. vit. dec. or. 850, a.
75) Diod. Sic. l. l. et 17, 111.

civitates cum Atheniensibus, ceterae si non cum iis, at certe non contra eos facerent [76]. Quo novo tantoque Demosthenis in patriam merito permoti Athenienses, rogante Demone illius propinquo, eum restituere decreverunt missaque triremi, quae eum Aegina reduceret, universi ei obviam in Piraeeum descenderunt, eumque redeuntem tanto favore ac studio prosecuti sunt, ut iure se feliciorem diceret quam Alcibiadem, cui cives sui non tam sua sponte, quam temporum necessitate coacti eundem honorem tribuerant [77]. Multam autem, quae adhuc manebat nec lege abrogari poterat, ita ei remiserunt, ut Jovis Servatoris, cuius tum sacra instabant, aram exstruendam atque exornandam ei locarent ingenti quinquaginta talentorum pretio, quod multae respondebat [78].

Exim Demosthenes denuo omnes curas cogitationesque suas in rempublicam contulit eoque maiore cum fervore, quod tandem illud consequi sperabat, quod per tot annos expetiverat [79]. Nec sane primo ea spes inanis esse videbatur; nam interea Leosthenes duobus proeliis apud Plataeas et Thermopylas factis Macedonas eorumque socios vicerat Antipatrumque in tales angustias adduxerat, ut cogeretur se in oppidum Lamiam recipere [80]. Qui prosperi eventus quamvis magnos spiritus attulissent Atheniensibus eorumque sociis [81], tamen postquam Aetoli domum abierunt ad res

76) Plut. l. l. 27, 2 seq.; Just. 13, 5; Diod. Sic. 18, 11. Cf. Schaef. l. l. 336; praeterea III, 2, 56 adn. 4; 295, quibus in locis agitur de Demone, cui nescio an iure tribui velit vir ille doctus orationem Demosthenicam „*πρὸς Ζηνόθεμιν παραγραφή*“ inscriptam (v. l. l. p. 296).

77) Plut. l. l. 5.

78) Plut. l. l. 6.

79) Cf. Plut. *comp. Dem. cum Cic.* 4, 2.

80) Diod. Sic. 18, 12. Cf. Schaef. l. l. 333, adn. 2.

81) Plut. *Phoc.* 23, 4.

suas componendas, et Leosthenes in ipsa obsidione cecidit [82]), iam animi labare coeperunt et Antiphilus, qui in Leosthenis locum successerat [83]), vix impedire potuit, quominus sociorum copiae dilaberentur[84]). Sed res prorsus male cedere coepit post Leonnati, Macedonici praefecti adventum; qui quamvis proelio equestri superatus esset ipseque in proelio cecidisset [85]), tamen hoc effecit suo adventu, ut Graeci obsidionem omitterent facultatemque darent Antipatro se in tutum recipiendi copiasque suas novis auxiliis augendi. Quae auxilia postquam ille a Cratero accepit perfacile ei fuit Graecos numero multo inferiores apud Crannonem superare iisque pacis conditiones imponere, inter quas haec prima fuit, ut non omnes cumulatim sed singulae civitates secum agerent de pace [86]). Quin ab Atheniensibus huic iusso obtemperantibus postulavit Antipater, ut ante omnia sibi traderentur Demosthenes, Hyperides ceterique, qui belli auctores fuissent, deinde ut Athenienses se suaque omnia ipsius potestati permitterent; nisi hoc fecissent, se eorum urbem oppugnaturum [87]). Cui postulato ne pareret cum frustra suasissent populo qui honestam mortem tam foedis pacis conditionibus praeferebant, Demosthenes et qui ab iisdem partibus stabant ex urbe fuga se abripuerunt absentesque Demade auctore capitis

---

82) Diod. Sic. l. l. 13.
83) Diod. Sic. l. l.
84) Cf. Diod. Sic. l. l. 15.
85) Diod. Sic. l. l.
86) Diod. Sic. l. l. 16 seq. Cf. Plut. l. l. 26, 1. Eodem fere tempore etiam proelio navali victos esse Athenienses a Macedonibus tradit Diod. l. l. 15.
87) Diod. Sic. l. l. 18; vit. dec. or. 846, e. Plut. l. l. 26, 2; 27. Cf. Schaef. l. l. 353 adn. 2.

damnati sunt[88]). Quod quidem decretum illis non multum nocuisset, nisi Antipater satellites suos circummisisset, qui eos indagarent vivosque ad se adducerent. Ab his igitur Hyperides aliique, quos non cita fuga in Aetoliam servavit[89]), comprehensi atque Antipatro traditi sunt, qui eos illico necari iussit. Demosthenes vero ab Antipatri satellitibus in Neptuni fano, quod erat in Calauria insula, deprehensus, ne vivus in hostium manus incideret, ad ipsam dei aram hausto veneno animam exhalavit (a. d. IV Id. Oct. 322 a. Chr. n.) [90]).

Sic vitam finivit vir ille, qui nescio an merito non modo maximus omnium quos unquam terra genuit oratorum, sed etiam omnium aetatis suae virorum, qui in rebus publicis versati sunt, princeps habendus sit. Quibus viris ille non tam hoc praestitit, quod tanta perseverantia potentiae Macedonicae adversatus est, quam hoc, quod a primis temporibus, quibus rem publicam capessivit, usque ad finem vitae suae cum totam Graeciam ad eam concordiam studuit revocare, quae eam a quocumque hoste sive interno sive externo tutam redderet, tum cives suos enixe hortatus est, ut morem maiorum secuti ceteris Graecis bono exemplo praecederent semperque oppressis contra oppressores, quicumque fuissent, adessent. Ac fieri potuit fortasse ut summam votorum suorum assequeretur, nisi ex quo aurum Macedonicum in Graeciam penetravit tanta pro-

88) Plut. *Dem.* 28, 2. Notandum est, hoc decretum factum esse a 9000 tantum civibus, quibus solis, quia plus quam 2000 drachmas possidebant, Antipater ius suffragii reliquerat. V. Diod. Sic. l. l. Plut. *Phoc.* 28 extr. Cf. Grote hist. gr. (ed. germ.) VI, 680.

89) Cf. Polyb. 9, 29; 30.

90) Plut. *Dem.* 28, 2 seqq.; 29.

ditorum caterva exstitisset, qui generosa illa consilia irrita redderent. In his maxime notandus est Aeschines, qui, si non antea, at sine dubio inde a pace illa Philocratea, operam suam vendidit Macedonibus, per quam potuit quidem ex paupere et tenui ad magnas opes procedere, sed exsecrationem posteritatis effugere non potuit; quae posteritas contra semper Demosthenis memoriae et nomini honorem et admirationem tribuet, semperque molliori quodam dolore commota recordabitur horum versuum, quos grati cives sui statuae eius in foro positae subscripserunt:

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες,
οὔ ποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών. [91]).

---

91) Plut. *Dem.* 30, 5; vit. dec. or. 847, a. Factum est hoc a. a. Ch. n. 280 Demochare, Demosthenis nepote, rogante. Praeter statuam in foro etiam hoc Demostheni honori decretum est, ut ex eius posteris maximo cuique natu victus in prytaneo et locus insignis in theatro daretur. V. vit. dec. or. 850 seq.